XXIV. Lubet nunc ex adversariis quarere, Num secundum ipsos vera sit propositio, quam subjicio: *Nullus bonus actus divinae legi conformis necessarius est ad salutem; sive aliquanto disertius & expressius, Nullus bonus pietatis & caritatis juxta normam divinae legis praestandus actus homini Christiano & renato, ut in sta-*

en gro.

in gratia maneat, & salute tandem potiatur, est neces-  
sarius? Haut spero odio mei adeo excæcatus, ut hanc  
propositionem planè impiam admittant & probent.  
Quod si non faciant, necesse habebunt laudare alteram  
contradictoriè oppositam, *Aliquis bonus actus sive ali-  
qui boni pietatis & caritatis actus juxta normam divinæ  
legis præstandi homini Christiano & renato, ut in statu  
gratiæ maneat, & salute tandem potiatur, aliquo saltem  
modo sunt necessary.* Dico, *aliquo saltem modo*, etiam si  
non ut causa promerens vel efficiens, quod hîc sanè in  
academiâ Iuliâ nemo umquam affirmavit; saltem ut *con-  
ditio, vel causa sine quâ non, vel qua removeat prohibens.* B. Lu-  
therus Enarratione in versum tertium psalmi LI *causam  
sine quâ non* in ipsâ justificatione agnoscit. *Tantum, in-  
quit, una justificationis causa est, scilicet meritum Christi, seu  
gratuita misericordia, quam corda Spiritu sancto accensa fide  
apprehendunt.* Quod si quis vult, numeret agnitionem peccati  
*tamquam causam secundam, seu, ut eruditi loquuntur, causam  
sine quâ non, quia sic est causa, ut tamen tota res pendeat ex mi-  
sericordiâ Dei, seu ex promissione, quod scilicet Deus promisit, se  
velle illorum misereri, qui agnoscunt sua peccata & iustitiam si-  
ziunt.* Quin remissionis peccatorum & justificationis  
particeps non erit, qui proposito pergendi in peccatis  
inhæserit: hujusmodi enim propositum remissionem &  
justificationem arcet ac prohibet. At propositum e-  
mendandi vitam, castèque justè & piè transigendi, alte-  
rum propositum perseverandi in peccatis, quod aliter  
etiam removeri non potest, removet. Ergo necessarium  
est tamquam causa non quidem quæ suâ virtute vel a-  
ctione aliquâ effectum præstet, sed quæ removeat, quo  
præsente & permanente non præstaretur. Nos autem

hic non de justificatione, vel de homine ab impietate ad Christum primitus converso, sed de Christiano & renato in statu gratiæ jam constituto, & viam, quæ ad salutem ducit, gradiente agimus, & quærimus, *Annon huic homini ad salutem, sive ut salutis aliquando reapse particeps reddatur, aliquâ ratione vel aliquo saltem modo necessarium sit crimina divinis præceptis interdicta non committere, piè vivere, sive observandis Dei mandatis operam dare?* Nam, ut hoc quoque moneam, perinde hic est sive dicam, Huic homini id necessarium esse ad salutem; sive dicam, Id necessarium esse, ut hic homo salute aliquando potiatur, sive tandem salutem reapse habeat, obtineat, consequatur. Quomodo enim fuerit homini necessarium ad salutem, si non ad habendam salutem? Quod autem homini necessarium est ad habendam salutem, id non statim ita est necessarium, ut per id aut propter id tamquã causam veram efficientem salute potiatur, quamvis sine eo salutem habere & consequi nequeat: sufficit ad veritatem enunciationis si verum sit velut de conditione, sive de causâ sine quâ non, vel removente prohibens. Quod postremum fortè commodissimè affirmabitur.

XXV. Emisit Hülsemannus superiore anno *Brevem instructionem* contra necessitatem bonorum operum ad salutem. Me hanc phrasin nec usurpasse unquam nec usurpare toties dixi, ut haut opus sit denuò inculcari. Adsero tamen, quòd piè vivere, abstinere à flagitiis & studere servandis mandatis divinis necessarium sit ad salutem. Scribit autem Hülsemannus Instructionis istius aphorismo tertio: *Est hæc acceptio phrascos, Bona opera sunt necessaria ad consequendam vitam æternam, ut intelligatur de necessitate mediæ ex parte nostrâ requisiti tam frequens, tam vulgaris, ut credulitat is iurciurando*  
inter.

interposito affirmare audeam, nullius intellectui illapsurum esse  
sonum huius phrascos, quin primus & ordinarius conceptus ne-  
cessitatem medii, veræ videlicet causæ efficientis, sugge-  
rat. Et aphorismo quarto: *Nemo dubitare potest hanc phra-* Pag. 178  
*sin.* Pietas morum necessaria est ad æternam beatitudi-  
nem consequendam, *communiter & per se generare sensum*  
*necessitatis causæ ad minimum instrumentalis & mediæ, si non*  
*plane meritæ.* Repetit idipsum verbis paullulum im- Pag. 94  
mutatis aphorismo octavo. Argumentum fuerit tale:  
Quidquid necessarium est ad habendam salutem, id ne-  
cessarium est sub ratione veræ causæ efficientis salutem.  
At studium piè vivendi &c. Ergo. Majorem niti oportet  
hoc fundamento, Quòd quidquid ad rem haben-  
dam vel effectus finisque consequendi ergo necessarium  
est, aut etiam necessariò cum vero efficiente conjungi-  
tur, id omne rationem subeat causæ verè efficientis, &  
conferentis realem influxum in esse effectus. Hoc au-  
tem, & quidem hac ipsâ in materiâ falsum esse vel ipse  
nos docuerit Hülsemannus, qui in Harmoniâ illâ Apo-  
stolicâ SS. Pauli & Iacobi Grotio oppositâ in hunc mo-  
dum loquitur numero XIX: *Correquiruntur opera ad Fi-*  
*dem vel tamquam conditio positiva, ut adsint, vel tamquam con-*  
*ditio privativa, ne admittatur aliquid contrarium bonis operi-*  
*bis, seu Impietas.* Alii juxta communem loquendi & in-  
telligendi modum conditionem, quam privativam vo-  
cat Hülsemannus, causam dicerent removens pro-  
hibens. Privatio enim, quæ alioquin adimit ea, quæ  
adesse deberent, juxta novam Hülsemanni phrasin re-  
moveret, quæ adesse non debent. *Ex utràque conditione se-*  
*quitur, opera coëfficere salutis acquisitionem vel possessionem.*  
*Non sequitur, inquam, Quòdcumq; ex naturâ causæ agentis, & ex*  
*præcepto divino, seu necessitate mandati divini adest & adesse*  
*debet*

*caussa agenti, hoc coinfluit in effectum ab illo agente productum?*  
Rursus numero XXI: Non putandum est omnem conditionem  
Promissionibus aut Contractibus appositam, esse positivam vel  
etiam activam, id est, qua positivè & activè, per modum Prin-  
cipii Efficientis influat in Productionem & Constitutionem rei  
promissa. Clamat nihilominus in Instructione illâ anno  
superiore editâ, aphorismo quarto: Nullum hæcenus ex  
universâ rerum naturâ exemplum adduci potuit, in quo opus ho-  
minis morale diceretur necessarium ad finem moralem consequen-  
dum sensu solius causa sine quâ non, sive tanquam sola remotio  
impedientis. Videtur homo ille ad res perspicuas novis  
vocalis & inventiunculis obscurandas & planas intri-  
candas natus factus. In naturalibus quidem, quæ non  
possunt aliter agere quàm agunt, admittit, causam sine  
quâ non, & removens prohibens, necessariam esse ad  
producendum effectum: at in moralibus, quæ à causis  
liberè agentibus pendent, sive in humanis actionibus  
negat ullum existere exemplum operis humani vel à li-  
berâ voluntate profecti, quod ad finem vel effectum e-  
iusdem generis consequendum sit necessarium. Sed, ut  
exemplo, quod ipse adduxit, inhæreamus, annon imple-  
tio conditionis promissionibus appositæ est necessaria  
ad consequendam rem promissam, sive causa sine quâ  
non consequendæ rei promissæ? Esto vir opulentus,  
bonus, pius & munificus; dicat puero ingenuo sed ege-  
no: Veni ad me die crastini, horâ decimâ, & flexis ge-  
nibus recita orationem Dominicam; habebis tunc à  
me donum viginti aureorum. Annon impletio hujus  
conditionis est causa sine quâ non consequendæ rei  
promissæ, & ad eam consequendam necessaria? Impro-  
bus tamen vel extremè impudens fuerit puer, si acceptâ  
rem promissam suæ isti recitationi, tanquam causæ ef-  
ficienti

ficienti vel promerenti, & non benigne est viri munifici  
totam imputet. Addit verbis suis ipse Hülsemannus in  
margine: *Non omnis conditio, nedum eius impletio causa est ef-*  
*ficiens rei promissa.* Annon (ut Lutheri exemplum, quod  
propius ad rem facit, sequamur) agnitio peccatorum  
necessaria est ad habendam eorum remissionem? annon  
pariter necessarium est propositum minimè in eis perse-  
verandi, sed abstinendi in posterum? Nisi fortè existi-  
mat Hülsemannus Deum peccata remittere, etiamsi  
peccator non agnoscat se peccasse, & animum induxerit  
perseverare in peccandi studio. Quòd ipsum sanè ei,  
quantum mentem ejus ex verbis adsequi licet, arridet.  
In suâ enim Dialysi & Brevi instructione reprehendit & Pag. 44  
improbat, quòd D. Horneius docuit Pœnitentiam & Pag. 48  
propositum abstinendi à peccatis, vel emendandi vi-  
tam, justificando, sine, quod idem est, remissionem pec-  
catorum in petraturo necessarium esse.

XXVI. Sed nos pergamus ostendere, quòd nè qui-  
dem in moralibus omne habendo fini necessarium, ve-  
ra sit ejus finis efficiens causa. Fodit aliquis puteum, &  
cupit consulere indemnitati & securitati imprudentiũ  
hominum, quin etiam brutorum, quam tollit vel impe-  
dit occasio & proclivitas illabendi. Circumdat igitur &  
addit cancellos aut loricam. Additio ista ad securitatem  
facit suoq; modo necessaria est hoc ipso, quòd remouet  
periculum illabendi securitati contrariũ. Sic Deus ipse  
consultum iuit incolumitati humanæ, dum iussit Deut.  
xxi, 8: *Quum adificas domum novam, tum facies loricam ad se-*  
*ctum tuum; ut non imponas reatum sanguinis domui tue, si deci-*  
*dat aliquis ex eo.* Fabricatio periboli non quidem pro-  
ducit vel efficit incolumitatem hominum, sed eam in-  
tuto ponit dum remouet periculum ruendi in præceptis  
Ggg atque

atque eatenus necessaria est tamquam causa, quæ removeat id, quod incolumitati adversatur. Pariter ad servatio bovis petulci necessaria est tamquam causa removens impedimentum securitatis, & periculum, quod ab eo vitæ hominum possit imminere; atque ideo à Deo mandatur Exodi XXI, 29 & 36. Sunt nonnulli homines ad *contumaciam* adeo proclives, ut etiam quando conciones & preces publicè habentur, computationibus operam dent. Magistratus cupit eos ad rectiora traduci, & continenter ac sobriè, illo præsertim tempore, se gerere. Iubet itaque, dum sacra peraguntur, tabernas, in quibus vinum aut alii potus venduntur, claudi. Oclusio quidem tabernarum nihil realis efficientiæ in effectum vel finem, qui est continentia & sobrietas hominum, confert: removel tamen opportunitatem & media ad computationes continentiæ & sobrietati oppositas facientia: hætenus igitur ad legitimam illam abstinentiã est necessaria, tamquam causa, quæ ejus abstinentiæ impedimenta & oppositi criminis irritamenta removeat. Videt, ut opinor, Hülsemannus falsum se scripsisse, quum scripsit *nullum ex universâ rerum naturâ exemplum adduci posse, in quo opus hominis morale dicatur necessarium ad finem moralem consequendum sensu solius causse sine quâ non, sive tamquam sola remotio impediens.*

XXVII. Quæstio est, sicut sæpe dictum fuit, Num homini Christiano, renato & fidei necessario sit operam dare pietati, novitati vitæ & observandis præceptis divinis, sive declinare à malo & facere bonum; num, inquam, id ei necessarium sit hoc fine, ut dum hanc vitam vivit in statu gratiæ maneat, & post hanc vitam ad gloriam perveniat.

niat: sive, num hoc ei necessarium sit ad non-amittendum, conservandum & retinendum statum gratiæ, & consequendum statum gloriæ, sive ad salutem, ut uno verbo restota comprehendatur. Logodædalus noster sectari solet præstigias quasdam verborum, quales sunt, quòd non sit idem *necessarium esse ad non-amittendum, & necessarium esse ad retinendum vel conservandum*. Nemo autem nescit, perinde esse de re, quæ jam habetur & possidetur, sive dicatur *non-amitti vel conservari & retineri*. Pallium certè, vel librum, vel nummum, vel scyphum, quem jam habeo, si non-amitto, tum retineo: & quæ cura atque industria facit ad non amittendum, ea quoque facit ad retinendum & conservandum. Agitur autem de iis, qui potiuntur statu gratiæ, & consequuti sunt jus ad eundæ æternæ vitæ. Quod qui non amittunt, certè retinent & conservant: & quæ suo quodam modo faciunt ut non amittatur, eadem pari modo præstant, ut retineatur. Agitur, inquam, de iis, qui potiuntur salute incoatâ, & in viâ sunt sive gradiuntur & pergunt ad fruendum consummatâ. Quod necessarium est hoc fine, ne excidant incoatâ, id etiam necessarium est, ut tandem potiantur consummatâ. Video autem Hülsemannum magnâ cum vehementiâ & contentione improbare, si quis dicat *Hereditatis cœlestis aditionem non nisi cum onere piè vivendi decretam*. Non vult studium pietatis esse *onus adharens acquisitioni salutis*. Ita videlicet loquitur in fine tum Brevis suæ instructionis, tum Præfationis ei præmissæ. Dicit quidem Servator noster: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quòd mitis sim & hu. nilis corde*: (nempe juxta Paulum <sup>Matth. 11, 19</sup> Apostolum *fructus Spiritus sunt caritas, gaudium, pax, paci-* <sup>Gal. 5, 22,</sup>

entia, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia) & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve est. Discipulus Servatori carissimus: Per hoc cognoscimus nos diligere filios Dei, quum Deum diligimus; & praecepta eius observamus. Hac est enim caritas Dei, quâ Deum prosequi nos renatos & fideles oportet, ut praecepta eius observemus; & praecepta eius gravis non sunt. Nescio tamen annon Hülsemanno onus Christi suave & leve non videatur, quandoquidem sine eo hereditatem coelestem adire satagit; & videantur gravia Dei praecepta, quandoquidem sine eorum observatione vult æternam salutem acquirere.

XXIX. Quoniam terminus *Bona opera* æquivocatione, de quâ fortè alibi monebo, laborat, ideo conumquam sum usus, sed dixi & dico *Studium pietatis, declinare à malo & facere bonum necessarium est ad salutem*, si non aliter, certè ut *caussa sine quâ non, vel quæ removeat id, quod hominem salute esset privaturum*. At Hülsemannus non solum voculas, *Bona opera*, sed ipsam, quam diximus, rem, quæcumque addatur restrictio vel limitatio veram causam efficientem & promerentem intelligi prohibens, averfatur. *Nullum modum necessitatis ad salutem admittit, omnem modum excludit*. Iuxta ipsum igitur Boni aliquid vel cogitare vel dicere vel facere nullo planè modo ad salutem est necessarium. Quid aliud dicturus sit VVelleri diabolus incarnatus, si ei inter homines perorandi potestas fiat, equidem ignoro.

XXIX. Videtur tamen Hülsemannus alicubi admittere, quod à *abstinere à criminibus & flagitijs divinâ lege prohibitis necessarium sit ad damnationem non-incurrendam seu evitandam, etiam si acriter neget necessarium id esse ad salutem*

Vide Bre-  
vem In-  
struct pag.  
49, 51, 55,  
102.

lutem habendam. *Ceterum reapse distinguere & separare rō damnationem effugere & rō salute potiri, sunt apine ericag, & si quid vilis istis.*  
Quoniam enim Deo visum fuit, ut non sint plures status quā duo, inter se directē & immediatē oppositi & contrarii, nempe in præsente vitā vel iræ & damnationis imminentis, vel gratiæ & salutis incoatæ; in futurā verò vel damnationis vel salutis consummatæ; quorum alter diabolicæ & humanæ pravitati, alter divinæ benignitati & misericordiæ acceptō ferendus: hinc fit, ut nemo queat constitui vel in neutro, vel in utroque, sed quicumque aliquando vixit, vel adhuc vitali vescitur aurā, necessariō est in alterutro. Reapse igitur æquipollent sive quoad rem coincidunt *effugere damnationem & potiri salute*: & quod præstat ut damnationem evadamus, id etiam pari modo præstat, ut salute potiamur. Quod Deum attingit, eripimur damnatione & salute donamur per divinam misericordiam & *per meritum & mortem Christi*; quoad nos autem, per fidem. Simul tamen abstinere à committendis adversus conscientiam peccatis divinā lege prohibitis necessariū nobis est, non ut per eam abstinētiā mereamur vel damnationem effugere, vel salute potiri, sed ut removeatur id, quo posito nec damnatio posset evitari, nec salus haberi. Quoniam igitur hoc ipso, quōd damnationem evadimus, salutem habemus; quod nobis est necessarium ut damnationem evadamus, hoc etiam est necessarium ut salutem habeamus: & quod removeat causas damnationem denuō inducturas, idem removeat hoc, quod salutem excluderet, & unā cum eā consistere nullo modo posset: atque adeo id ipsum est causa sine quā non tum abolendæ damnationis, tum habendæ salutis.

Causam verò sine quâ non, & remoyentem prohibens, realem efficientiam & influxum in effectum non conferre, vel pueris notum esse debebat. Multo minùs qui non planè stolidus fuerit, in hunc modum argumentabitur: Commissio peccatorum contra legem Dei & conscientiam militantium verè meretur damnationem. Ergo omissio eorundem vel abstinencia verè meretur abrogationem damnationis, & præmium salutis.

XXX. Quoniam igitur, ut ostensum fuit, simul semper sunt & reapse separari nullo modo possunt *non-damnari* & *non salvari*, seq; mutuò ponunt & tollunt, ut quicumque non damnatur, salvetur, & vice versâ; sicut se habent *non-mori* & *vivere*: hinc etiam Scriptura jungit & pro eodem habet, quemadmodum manifestum est ex illo celeberrimo Servatoris effato: *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Rursus Ioh. v, 24: *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transiit à morte ad vitam.* Et cap. x, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Ex quibus evidens est juxta ipsam Servatoris phrasin si dicas hominem non perire in æternum, tum etiam te dicere quòd habeat vitam æternam; & proinde secundum rem unum & idem esse sive dicas eum non perire & in condemnationem non venire, sive adseras eum habere vitam æternam. Nam si quæ est distinctio, illa non est in re & secundum rem, sed secundum solam rationem & conceptum. Nos igitur itidem alterum ab altero non separabimus, sed  
pro

pro uno & eodem habebimus, & indifferenter usurpabimus, etiam si *κραιοχρησοληξει* aliquis indignetur.

XXXI. Id etiam observandum, abstinentiam à criminibus non habere se hic merè negativè, sicut dici possit Saxum vel brutum non committere idololatriam aut adulterium: sed pendere ab actibus positivis, quibus, quando præsens est objectum & materia, circa quam peccari possit, & non deest quod irriteret & invitet, nihilominus proclivitas ad peccandum reprimatur & compescitur, ne in effectum prodeat. Res manifesta est in exemplo Iosephi. Quemadmodum igitur ad evitandam damnationem & retinendam salutem necessaria est abstinentia, ita quoque necessarii sunt hi actus, quibus iracundia, concupiscentia comprimatur, vel ut Aposto- Rom 8, 13.

XXXII. Exorso hanc dissertationem, quam rem maximi momenti tractare persuasus sum, ignoscat benevolus lector, quòd nequeam abrumpere, mihiq; imperare ut non prosequar ulterius. Extracta è literis nonnullis, quæ suo dicendi modo Breviaria appellat, unà cum Censuris evulgavit Dantis Misenta. Ex iis, & præsertim ex epistola ad ipsum Misentam sub numero xxxix edita publicè innotuit, Hülsemannum, qui longè alium hætenus, ut alibi ostensum, simulaverat, hostem meum esse, meque acerbè cumulatè calumniis & mendaciis traducere. Commentarium ad Historiam Iosephi, in quo adsero *Abstinentiam ab adulterio necessariam fuisse Iosepho, ne excideret statu gratiæ & salutis*, vellicat & reprehendit. Ego sanè responsum mox opposui, Vide lit. Pp 2.

& qui-

Et quidem acriter fateor enim, me quoque aliquando in-  
calescere: non tamen edidi, quod viderem *non minus et tu*  
Collegam meum D. Horneium in eâ doctrinâ explican-  
dâ occupari. Eubet nunc denuò in manus sumere & ex  
eo nonnulla excerpere, nonnulla etiam pro re natâ in-  
serere, & hic apponere. Reliqua autem omnia præteri-  
bo, & tantùm argumenta pro verâ sententiâ proferam,  
& quidem absque certo delectu & ordine. Potest etiam  
fieri, ut idem verbis paululùm immutatis repeti videat-  
ur: quod tamen non caret usu, quum fortè sint, qui  
quod uno modo propositum non capiunt, si aliter  
proponatur, rectiùs adsequantur.

XXXIII. Quod Christianæ religioni probabilita-  
tem, quâ præ paganâ hætenus eminuit, detrahit, & ali-  
quâ in parte paganæ parem facit, aut etiam eâ inferio-  
rem, id docendum non est, imò sine dubio falsum est.  
At quod secundum Christi doctrinam non sit ad salu-  
tem necessarium à flagitiis abstinere, id ipsum Christia-  
næ religioni probabilitatem detrahit &c. Ergo non est  
docendum, imò sine dubio falsum est. Magnopere mi-  
ror in colloquio habito Altenburgi anno superioris se-  
culi LXIX (quum præcessisset anno LX illud, quod VVi-  
maræ inter Flacium & Strigelium fuit habitum) Duca-  
les Majoris sententiæ de necessitate bonorum operum  
ad salutem tamquam argumentum opponere, & repu-  
dium ejus inde arcessere, *quod eam lex natura in omnium  
sanorum hominum pectoribus dicitur. Ergo, ajunt, D. Maierem  
cum suâ philosophicâ, Aristotelicâ & Ciceronianâ iustitiâ meritis  
omnes Christiani repudiant.* Ducalibus, inter quos Flacia-  
ni Iohannes Fridericus Cœlestinus & Christophorus  
Irenæus, orthodoxiam, arbitrium rejiciendi & recipi-  
endi modos loquendi, & omnia summa tribuit Hülse-  
mannus

Fig. 176.

mannus; heterodoxiam Electoralibus, inter quos Paulus Eberus. Vide Brevis instructionis aphorismum VII.

XXXIV. Ad quam rem necessarium est quiddam, quod cum altero necessariò cohæret, & sine eo esse vel dari nequit, ad eandem rem hoc etiam alterum suo modo est necessarium. Sed ad salutem necessaria est fides, cum quâ necessariò cohæret novitas vitæ & studium pietatis, absque quibus fides esse vel dari nequit. Ergo ad eandem salutem hoc etiam alterum, nempe novitas vitæ & studium pietatis suo modo est necessarium.

Ad quam rem necessaria est fides efficax & viva, & non sufficit ociosa & mortua, ad eandem etiam necessarium est id ipsum, sine quo fides non est efficax & viva, & quo ab ociosâ & mortuâ distinguitur. Sed ad salutem necessaria est fides efficax & viva, & non sufficit ociosa & mortua. Ergo ad eandem necessarium est id, sine quo fides non est efficax & viva, & quo distinguitur ab ociosâ & mortuâ, nempe dilectio Dei & proximi, & observatio mandatorum Dei. *Hæc enim est dilectio Dei, ut mandata eius servemus, 1 Ioh. v. 3.*

XXXV. Propter quod nobis impetrandum & promerendum mortuus est Christus, id omnino facit ad salutem nostram, & nobis, ut eam tandem reportemus, necessarium est. Non enim alio fine in mundum venit & mortem subiit Servator mundi, nisi ut servaret quod perierat. Sed ut simus populus purificatus, accensus studio bonorum operum, & mundati in conscientia colamus Deum vivum; propter hoc ipsum nobis impetrandum & promerendum mortuus est Christus. Ergo nos purificari, & accendi studio bonorum operum, & mundatos in conscientia colere Deum vivum facit ad salutem nostram, & nobis, ut eam tandem reportemus,

H h h

neces-

necessarium est. Minor probatur verbis Apostolicis  
Tit. 11, 14: *Servator noster Iesus Christus dedit semetipsum pro  
nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibipse  
populum peculiarem, accensum studio honorum operum.* Heb. 1x,  
14: *Sanguis Christi, qui semetipsum obtulit inculpatum Deo,  
emundabit conscientiam vestram à mortuis operibus ad colen-  
dum Deum vivum.*

XXXVI. Quod necessarium est ad hoc, ne sis ana-  
thema, id etiam necessarium est ad salutem. Quia ana-  
thema servari non potest: atque adeo non esse anathe-  
ma, necessarium est ad salutem. Sed Dominum Iesum  
Christum amare necessarium est ad hoc, ne sis anathe-  
ma. nam *si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema  
esto,* 1 Cor. XVI, 22. Ergo Dominum Iesum Christum ama-  
re necessarium est ad salutem.

Quod necessarium est ad hoc, ut sis ex Deo sive fili-  
us Dei, & desinas esse filius diaboli, id etiam necessarium  
est ut damnationem effugias, & salute aliquando potia-  
ris. Sed operam dare justitiæ (*πρωτὴν δίδωμι οὐκ ἔτι*) & dilige-  
re fratrem necessarium est ad hoc, ut sis ex Deo sive fili-  
us Dei, & desinas esse filius diaboli. nam *per hoc manifesti  
sunt filii Dei, & filii diaboli: quisquis non dat operam iustitiæ non  
est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum,* 1 Ioh. III, 10. Ergo  
operam dare justitiæ & diligere fratrem necessarium est  
ut damnationem effugias, & salute aliquando potiaris.

Quod necessarium est ad hoc, ut in morte non ma-  
neas, id etiam necessarium est ad evitandam damna-  
tionem & habendam salutem. Sed diligere fratrem neces-  
sarium est ad hoc, ut in morte non maneat. nam *qui non  
diligit fratrem, manet in morte,* 1 Ioh. III, 14. Ergo dili-  
gere fratrem necessarium est ad evitandam damna-  
tionem & habendam salutem.

Imò

Imò quidquid necessarium est ad evitandam damnationem, id etiam necessarium est ad habendam salutem, quemadmodum paulò antè demonstratum fuit. Num. 29  
& 30.  
Nunc autem, nisi fallor, admittit Hülsemannus, vel simulat se admittere, quòd abstinere à criminibus & flagitiis divinâ lege interdictis necessarium sit ad evitandam damnationem. Ergo pariter admittere debet, quòd ejusmodi abstinencia, & actus illi, sine quibus abstinencia non constare itidem ostensum fuit, ad salutem sint necessarii. Num. 32

XXXVII. Hoc itaque sic posito pergimus. Quod necessarium est ad evadendam gehennam, id etiam est necessarium ad habendam salutem. Sed aliquando necessarium est ad evadendam gehennam cruere oculum, abscindere manum vel pedem, id est, amicos aut res aliquin caras, at in certum peccandi periculum conjecturas, amovere. Probatur ex Matth. v, 29, 30; xix, 8, 9; Marci ix, 43 & seqq. Ergo aliquando amicos aut res aliquin caras, & in certum peccandi periculum conjecturas amovere, ad habendam salutem necessarium est.

Quod necessarium est ne excidaris & in ignem conijciaris, id etiam necessarium est ad salutem. nam si in ignem conijceris, salute non potiris. Sed bonum fructum ferre necessarium est, ne excidaris & in ignem conijciaris. nam *omnis arbor, qua non fert fructum bonum, exciditur & in ignem conijcitur*, Matth. iii, 10; vii, 11. Ergo bonum fructum ferre necessarium est ad salutem.

XXXIIX. Sine quo nemo potest salvari, id ipsum est ad salutem necessarium. Sed absque hoc, ut sit discipulus Christi, nemo potest salvari. Ergo discipulum esse Christi ad salutem est necessarium. Pergo: Sine quo nemo potest esse discipulus Christi, sine eo etiam non

potest salvari: & proinde idipsum est necessarium ad salutem. Sed sine animo parato terrena omnia & ipsam vitam propter Christum deserere, & sine actuali desertione, ubi casus datur & necessitas incumbit, nemo potest esse Christi discipulus, Ergo talis animi ad deserendum preparatio, & ipsa quando respicit, desertio ad salutem est necessaria. Probatur Minor ipsius Christi verbis: *Si quis venit ad me, & non odit sive amoris meo non postponit patrem suum & matrem, & uxorem & liberos, & fratres & sorores, atq; adeo etiam animam suam, non potest esse meus discipulus*, Lucae XIV, 26. Declaratur per verba quae leguntur Matth. X, 37: *Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus: & qui amat filium suum aut filiam suam supra me, non est me dignus.* Subjungitur: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Apud Lucam **Cap. 14, 27.** ita profertur: *Quisquis non portat crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.* Sine quo autem non es Christo dignus, & sine quo ejus non potes esse discipulus, absque eo etiam non potes salvari: & proinde id tibi ad salutem est necessarium.

XXXIX. Quod necessarium est tibi ad hoc, ne abnegeris à Filio Dei coram suo Patre, quando veniet in gloriâ Patris sui cum Angelis sanctis; id omnino tibi ad salutem est necessarium. Sed confiteri Christum coram hominibus necessarium est ad hoc, ne abnegeris ab ipso coram suo Patre, quando veniet &c. Probatur ex Matt. X, 32 & 33; Marci IX, 38; Lucae IX, 26; XII, 8; II Tim. II, 12. Ergo confiteri Christum coram hominibus necessarium est ad salutem. *Et ore fit confessio ad salutem*, Rom. X, 10.

Quod necessarium est ad hoc, ne quis fidem abnegetur, & sit infideli deterior; id itidem necessarium est ad salutem. Nam qui fidem abnegat & infideli deterior reddi-

redditur, excidit salute. Sed suis & maximè domesti-  
cis providere, ne vel parentibus senio confectis debita  
officia & ἀντιπελάργους, vel liberis impuberibus aut vi-  
uis, pessum datâ per luxum re familiari, aut religiosa ad  
pietatem informatio (quod sine dubio præcipuum est)  
desit; id necessarium est ad hoc, ne fides abnegetur, &  
fias infideli deterior. Nam si quis suis, & maximè domesti-  
cis non provideat, fidem abnegavit, & est infideli deterior, 1  
Tim. v, 8. Ergo suis ad eum, quo dictum fuit, modum  
providere ad salutem est necessarium.

Quod necessarium est ad hoc, ne Deum neges; id  
etiam necessarium est ut salveris. Nemo enim qui De-  
um negat salvari potest. Sed factis Deum non negare,  
id est, quæ præcepit non omittere, & quæ prohibuit  
non committere, ad hoc necessariû est, ne Deum neges.  
Nam qui petulanter omittunt quæ mandavit, & com-  
mittunt quæ interdixit, quamvis Deum profitentur se scire,  
factis tamen negant, & sunt abominandi & rebelles, Tit. 1, 10.  
Ergo Deum factis non negare ad salutem est necessarium.

XL. Quod necessarium est ad retinendam fidem,  
hoc etiam est necessarium ad habendam salutem: quia  
videlicet finis fidei est salus animarum, 1 Petri 1, 9. Sed  
studium sanctimoniam & observatio mandatorum Dei  
impuritatem & flagitia prohibentium est necessaria ad  
retinendam fidem. Ergo itidem necessaria est ad ha-  
bendam salutem. Patet Major, quia aliàs sequeretur,  
sine fide vel amissâ fide salutem posse haberi. Patet iti-  
dem Minor, quia si eam neges, cogeris admittere, simul  
stare posse veram fidem & flagitiosam vitam: & fidem  
peccatis regnantibus non excuti vel amitti. Ostensum Num. 27.  
autem etiam est superius, non esse discrimen inter reti-  
nere & non-amittere, præsertim si agatur de re, quam

teneas; sicut fideles fidem, quã præditi sunt, jam habent.

XLI. Quod cuivis homini adulto necessarium est hac fini, ut sit & habeatur verus Christianus, id etiam eidem est necessarium, ut æternam vitam adsequatur. Sed renunciare studio peccandi, & dare operam servandis mandatis divinis cuivis homini adulto necessarium est, ut sit & habeatur verus Christianus. Ergo id ipsum etiam eidem est necessarium, ut æternam vitam adsequatur. Probo Majorem. Quod alicuj est necessarium ad eum finem, propter quem deseritur paganismus, iudaismus vel Muhammedismus, & suscipitur Christianismus; id etiam eidem est necessarium ad æternam vitam adsequendam. Quia videlicet deserti paganismi, iudaismi vel Muhammedismi, suscepti verò Christianismi finis proprius & adæquatus non est alius, quàm æterna vita. Sed quod alicuj est necessarium hac fini, ut sit & habeatur verus Christianus; id etiam eidem est necessarium ad finem, propter quem suscipitur Christianismus. Ergo quod alicuj est necessarium hac fini, ut sit & habeatur verus Christianus; id etiam eidem est necessarium ad æternam vitam habendam.

XLII. Quod virtute passionis & mortis suæ, sive per passionem & mortem suam Christus nobis conferri voluit; id ipsum nobis ad salutem est necessarium. nam propter nostram salutem descendit de cœlis, homoque factus, passus & mortuus est. Sed per passionem & mortem suam Christus conferri nobis voluit, ut peccatis moriamur & justitiæ vivamus. Ergo peccatis mori & vivere justitiæ nobis ad salutem est necessarium. Probat Minor ex I Petri II, 24: *Peccata nostra ipsemet sursum tulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ vivere.*

veremus. Coloss. 1, 21. *Quum essetis quondam hostes, mente  
operibus malis intentâ, nunc sanè reconciliavit in corpore car-  
nis sue per mortem, ut sistat vos sanctos, & inculpato, & irre-  
prehensos in conspectu suo. Tit. 11, 22. Dedit semetipsum pro  
nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi  
populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Ex eadem etiam ad Titum epistolâ in hunc mo-  
dum argumentor: Quod in nobis operatur & operari  
intendit gratia illa Dei salutifera, quæ omnibus homi-  
nibus illuxit, id ipsum nobis ad salutem est necessarium.  
Sed ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, tempe-  
ranter, & iustè, & piè vivamus in præsente seculo; id in nobis  
operari intendit gratia illa Dei salutifera, & hoc fine omni-  
bus hominibus illuxit. Ergo abnegatâ impietate & mun-  
danis cupiditatibus, temperanter & iustè & piè vivere  
in præsente seculo, nobis ad salutem est necessarium.

XLIII. Adde hoc quoque, Si obsequium præsta-  
re mandatis divinis, & juxta eorum præscriptum pieta-  
ti operam dare & flagitia vitare ad salutem non est ne-  
cessarium; ad ecclesiastiarum etiam & præconum evan-  
gelij officium non pertinet hortari & incitare, instare  
tempestivè, intempestivè, ut ab auditoribus obsequium  
divinis mandatis præstetur, pietati opera detur & flagi-  
tia vitentur. Ecclesiasticum enim ministerium non a-  
lio fine est institutum, quàm ut ad salutem homines ad-  
ducat. *Attende tibi & doctrina;* ait Apostolus Timotheo; *hoc faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.*  
Quod igitur ad hunc finem non est necessarium, sive  
abique quo finis hic obtineri potest, id ipsum inculcare  
& exigere ad ministri ecclesiastici officium non pertinet:  
certè eò non pertinet propriè & directè. Non enim in-  
stitutum est civilis regiminis & disciplinæ ergo, non ut  
illius

illius operâ auditorum valetudo, vel fortunæ, vel quævis alia terrena & politica prosperitas facta tecta præstetur, sed ut ad salutem homines adducantur. Si igitur hominibus ad salutem non est necessarium mandatis divinis obtemperare, itidem ministris evangelij non est necessarium, ut auditores suos arguant, objurgent, hortentur & obtestentur *tempestivè, intempestivè, ne patiantur peccatum regnare in mortali suo corpore; ne sistant membra sua arma in-justitiæ peccato; ne desideria carnis perficiant, sed abstineant à carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam; ne ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum, omnis operis boni fructum proferentes.* Si, inquam, hoc consequens falsum est & absurdum, itidem tale erit, è quo derivatur, antecedens.

XLIV. Pergo. Ad quod tanquam ad ultimum finem ordinatur Scriptura, id ipsum pari modo respicit & intendit ministerium Evangelicum, & doctrina ab eo proponenda. Non quidem omnia, quæ dixit & fecit Iesus, scripta sunt. Quæ autem scripta sunt, ideo scripta sunt, ut credamus Iesum esse Christum Filium Dei, & ut credentes vitam habeamus, Ioh. xx, 31. Finis enim fidei est salus animarum, I Pet. i, 9. Et sacræ literæ instruunt vel erudiunt ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu, II Tim. iii, 15. Quod igitur Evangelium, & ex eo doctores Evangelici proponunt & inculcant tamquam necessarium, id ipsum proponunt & inculcant tamquam necessarium ad salutem. Proponitur autem & inculcatur ab Evangelio & doctoribus Evangelicis studium pietatis, novæque vitæ & obœdientiæ tamquam necessarium. Ergo tamquam necessarium ad salutem. Minorem, ut puto, admittunt adversarii. Major satis superque est demonstrata. Ulterius hinc deducitur, Quod homini salvando quatenus salvando, sive quate-

quatenus de salute ipsi procurandâ agitur, est necessarium, id ipsum ei ad salutem est necessarium. Sed studium pietatis homini salvando quatenus salvando (neque enim in Theologiâ de homine aliter considerato vel ad alium finem dirigendo agitur) est necessarium. Ergo eidem ad salutem est necessarium.

XLV. Totam rem conficit testimonium epistolæ ad Hebræos: *χωρίς ἀγαθῶν ἔδειξεν τὸν Κύριον. Sine sancti-* Cap. 12, 14.  
*monia nemo videbit Dominum. Videre Dominum idem est, quod æternâ beatitudine potiri. Sine quo autem æternâ beatitudine potiri non licet, id ad potiundum est necessarium, nam necessarium nihil aliud est, quàm sine quo res esse non potest. Nullum est dubium, abstinentiam Iosephi, nempe quòd allectus & invitatus concupiscentiæ indulgere noluit, eo solùm nomine, ne in De-* Gen. 39, 9.  
*um peccaret, quum aliàs impunè ferre, & tota res clam haberi potuisset; huiusmodi, inquam, abstinentiam ad sanctimoniam pertinere certum est. Res manifesta est ex locis, in quibus idem vocabulum occurrit. 1 Thess. IV, 3: Hac est voluntas Dei, ὁ ἀγαθὸς ὑμῶν, sanctificatio vestri, nempe ut abstinereis à fornicatione: ut sciat unusquisq, vestrum vas suum sive corpus suum possidere ἐν ἀγαθῶν in sanctificatione & honore, non in morbo cupiditatis. Et paullo* versu 7.  
*inferius ἀκαθαρσία opponitur τῷ ἀγαθῶν. Non enim vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem. Similiter μόλυσμα & ἀνομιὰν opponuntur II Cor. 11, 1. Purgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei. Rom. VI, 19 hortatur Apostolus, ut sistamus sive exhibeamus membra nostra serva iustitia ἐν ἀγαθῶν ad sanctimoniam. Frustra igitur fuerit, si quis sanctimoniam nihil aliud esse velit quàm meram fidem; neget autem eâ puritatem & novitatem vitæ signifi-*  
Iii ficari.

ficari. Quæ sanè non est ipsa fides, sed cum verâ fide  
nexu adeo arcto jungitur, ut segregari & avelli neque-  
at. Fidei itaq; subjungitur *ἀγιασμός*, & cum *ἀγάπη* &  
*σωφροσύνη* conjungitur 1 Tim. 11, 15.

XLVI. Lubet adhuc pauca adjungere. Bapti-  
smus propter salutem nostram divinitus est institutus,  
quem qui suscipiunt, novum cum Deo pactum ineunt.  
Nempe primo, quod cum primis nostris parentibus  
Deus pepigerat, eorum culpâ nos excidimus, nec per il-  
lud servari jam possumus. Deus itaque *φιλόφρων* &  
salutis nostræ cupidissimus priori aliud, legali scilicet  
evangelicum, substituit, quod ex institutione divinâ  
post exhibitum Christum suscepto à singulis Christi fi-  
dem professis baptismo sancitur. Deus videlicet pro-  
pter Christum peccata nobis remittit, & adoptatis in  
filios hereditatem regni cœlestis promittit: stipulatur  
autem vicissim à nobis præter fidem in Christum, quæ  
quidem à nostrâ parte pacti fundus est; stipulatur, in-  
quam, bonam quoque conscientiam, id est, quòd post-  
hac quemadmodum fœderatos Dei decet, nos gerere  
velimus, & in conscientiam nostram peccare sive recla-  
mante conscientia aliquid agere vel desideria carnis  
perficere, vel peccato operam dare, atq; adeo scientes &  
volentes Deum offendere nolimus. Vir bonus com-  
mercio & familiaritate suâ non dignatur hominem im-  
probum, flagitiisq; deditum & immersum: quin si for-  
tè cum eo amicitiam contraxit, ubi talem animadver-  
terit esse, abrumpit. Quomodo itaque Deus opt. max.  
eos, qui ad consuetudinem peccandi & crimina perpe-  
trandi redierint, flagitiisq; abstinere noluerint, sui fœ-  
deris & amicitia (Abraham amicus Dei dictus est, Ies.  
41, 8. Iac. 11, 23.) participes esse patiatur, & non rescisso  
pacto

pactio ad pristinum statum relapsos deserat, ut fiat *ulti- a Pet. 2, 10;*  
*ma eorum conditio deterior priorē*? Ne fiat autem, oportet  
*retinere fidem & bonam conscientiam, quā expulsā naufragium i Tim. 1, 19.*  
quoque fit *fidei*. Nos itaque nunc salvos facit *baptisma*, quod *i Pet. 3, 21.*  
*non est depositio vel ablutio sordium carnis, sed stipulatio bo-*  
*na conscientia apud Deum*, ut loquitur sanctus Petrus.  
Hinc formo argumentum: Quod in baptismo ad salu-  
tem nostram divinitus ordinato nos Deo promisimus,  
id servare & præstare nobis ad salutem est necessarium.  
Sed abjecto peccandi studio retinere bonam conscien-  
tiam Deo in baptismo promisimus. Ergo id ipsum ser-  
vare & præstare nobis ad salutem est necessarium.

XLVII. Huc faciunt renunciationes ante baptis-  
mum fieri solitæ, & à primis ecclesiæ seculis ad nos usq;  
derivatæ. Meminit Tertullianus libro de coronâ mili-  
tis: *Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesiâ sub Cap. 3.*  
*antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ, &*  
*angelis eius.* Et de habitu muliebri: *Hi sunt angeli, mali Cap. 2.*  
scilicet, quibus in lavacro renunciavimus. Chrylostomus  
homiliâ vi in ep. ad Colossenses: *Postquam diximus, Re-*  
*nunciamus Satana & coniungimur tibi Christe; fœdus est & pa-*  
*ctum.* Hinc Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum *Orat. 40.*  
baptisma: *Nihil aliud esse vim baptismi existimare debemus,*  
*quàm alterius vitæ & purioris vivendi rationis pactum cum Deo*  
*initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, & accuratâ*  
*custodiâ nostras animas servare debemus, ne quod ibi profesti su-*  
*mus & promisimus, violasse videamur. Nam quum ad mutua ho-*  
*minum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum*  
*quæso periculum est, ne fœdera cum Deo ipso inita fregisse depre-*  
*hendamur; ac præter alia peccata ipsius quoq; mendacii apud tri-*  
*bunal Veritatis rei peragamur?* Hæc Nazianzenus. *Omnes cr-*  
*astius dispiciant, num liceat aliquâ specie pietatis, ali-*

quâ veri similitudine inficiari, quod baptizatis ad salutem necessarium sit, ut renunciationi diabolo factæ firmiter inhæreant, & pactum cum Deo initum servent.

XLIX. In parabolâ servi debitoris in hunc modum loquitur & nos docet ac informat Servator noster: *Matt. 18, 32.* *Vocavit illum dominus suus, & ait illi, Serve nequam, totum debitum remisisti tibi: nonne oportuit & remisereri conservi tui, ut & ego misertus sum tui? Et iratus dominus eum tradidit eum tortoribus. Ita & Pater meus cælestis faciet vobis, tradet videlicet vos tortoribus infernalibus, nisi remiseritis singulisq; fratri ex cordibus vestris offensas eorum.* Ergo ad evitandum ne tradamur tortoribus infernalibus, sive ne beatitudine privemur & damnemur, necessarium est quemque suo fratri offensas remittere.

XLIX. Quin precatone Dominicâ Patrem cælestem oramus, ut *Matt. 6, 12.* *remittat nobis debita nostra, sicut nos remittimus debitoribus nostris.* Renatos & justificatos pro semetipsis & non saltem pro aliis hujusmodi remissionem petere rectè declaravit synodus Milevitana canone VII. Ponunt igitur ipsi conditionem, sub quâ remitti sibi cupiunt sua peccata, *Epist. 104.* *quæ videlicet humana fragilitati,* ut Augustinus loquitur, *quamvis parva, tamen crebra subrepunt,* qualia penitus declinare per inhærentem carni infirmitatem & *Rom. 7, 23.* *legem in membris legi mentis repugnantem* ne ipsis quidem renatis, dum mortalem hanc vitam vivunt, datum est, sicut itidem agnoscunt Milevitani patres can. VI: ponunt, inquam, conditionem, nempe si etiam ipsi suis debitoribus, à quibus offensi vel læsi fuerint, remittant. *Car. major ad pet. tit. 5.* *Si gravaris ignoscere proximo, non est,* ait Lutherus, *quod tibi pollicearis aut cogites, Deum tibi sua peccata condonaturum.* Animus igitur irreconciliabilis & implacabilis objicit impedimentum, per quod fit, ut à Deo remissio dene-

denegetur. Ut itaque non denegetur, & haberi possit,  
necesse est hoc obstaculum per suum oppositum, nempe  
per placabilitatem, *μακροθυμίας, εὐνοίας*, removeri.

L. Denique Gal. v, 6 hæc sunt sancti Pauli verba:  
*In Christo Iesu neq. circumcisio quidquam valet, neq. præputium,  
sed fides per caritatem efficax.* Quasi diceret, Quod attinet  
eos, qui *baptizati sunt & Christum induerunt*, sive homines Gal. 3, 27  
Christianos & renatos, eorum conditionem meliorem  
non reddit quòd sint Abrahamo oriundi & circumcisi,  
nec deteriore quòd maioribus gentilibus prognati &  
incircumcisi, sed Christianismus eorum, per quem adi-  
turi sunt cœlestem hereditatem, totus pender à fide, &  
non quidem mortuâ vel ociosâ, sed vivâ & per carita-  
tem efficace. Totus, inquam, Christianismus ejusque  
*ἰσχυρὸς*, vis & valor positus est in fide, comitem habente  
caritatem, & per eam operante. Reperit eadem verba  
sub finem epistolæ: & quod priore loco dicebatur *fides* Gal. 6, 17  
*per caritatem efficax*, in posteriore ei dicitur *nova creatura*.  
Nempe per conversionem suam & admissum Christia-  
nismum ita homo immutatur (immutari certè debet)  
ut qui jam præditus est fide per caritatem efficace, videri  
possit alius ab eo, qui fuerat pridem, atque adeo novus  
homo sive *nova creatura*. *Si quis igitur est in Christo, si Chri-* 2 Cor. 5, 17  
*stum induit & verus est Christianus, nova est creatura: ve-*  
*tera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* Quæ profecò  
novitas studium pietatis & sanctimonie includit. nam  
*creati sumus in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus,* Eph. 2, 10  
*ut in eis ambulemus.* Quod autem in epistolâ ad Galatas  
uno loco est *fides efficax per caritatem*, & alio *nova creatu-*  
*ras* pro eo ponitur *observatio præceptorum Dei*, 1 Cor. VII  
8. *Circumcisio, ait, nihil est, & præputium nihil est, sed obser-*  
*vatio præceptorum Dei.*

LL. De hac ipsa divinarum præceptorum obser-  
 vatione paullo pluribus dispicere oportet. Si ea ho-  
 mini Christiano ad salutem non est necessaria, sequitur  
 non necessariam esse observationem sive primi, sive se-  
 cundi, sive tertij sive cujuscunque alterius præcepti: si-  
 ve non esse necessarium ad salutem præstare quod præ-  
 cipit vel primum, vel secundum, vel tertium, & pari-  
 ter de reliquis; vel vitare, quod prohibent. Præcepta  
 quidem alia sunt affirmantia, quæ actus aliquos injun-  
 gunt; alia negantia, quæ nonnullos interdicit. Hæc  
 obligant semper & ad semper, sicut scholæ docent; id  
 est, nullo unquam loco vel tempore licitum est perpe-  
 trare, quod prohibent, ut idololatriam vel adulterium  
 committere: illa verò obligant quidem semper, sed non  
 ad semper, id est, non nisi quum adest objectum, circa  
 quod actum exerceri oportet, & cætera, sine quibus in-  
 rem conferri & præstari nequit. Potest contingere, ut  
 conversus post suam conversionem haut diu superstit, &  
 atque interea defuerit objectum, occasio vel copia actû  
 præcepto aliquo affirmante injunctum edendi. Serva-  
 bitur tum absque tali actu reapse præstito: non tamen  
 absque proposito & voluntate præstandi, si ita res ferat,  
 necessitas exigat, honor Dei vel utilitas proximi postu-  
 let: minimè verò cum contrario proposito. *Ore qui-*  
*dem sit confessio ad salutem; eaque facienda, si res poscat &*  
*gloria Dei flagitet, cum præsentissimo etiam capitis pe-*  
*riculo. Si sustinuerimus, etiam conregnabimus; si abnegamus,*  
*& ille abnegabit nos.* Interim fieri potest, ut aliquamdiu  
 nulla sit vel occasio vel necessitas ejusmodi confessio-  
 nem edendi. Iubet Apostolus *divitibus huius seculi de-*  
*nunciari & præcipi, ut sint benefici, ut divites sint operibus*  
worten / der vnpassionirten Erbaren Welt die Wahr-  
heit durch offnen Druck zu erkennen geben / vnd  
damit dieses zantzüchtiges vnd kein nütziges fa-  
mos gedicht / ein für allemal / ohn weiter Schrifte  
wechseln aus der Christlichen Kirchen autoritate  
publica abschaffen solte. Also lauten seiner Hochseligen  
Fr. Gn. beydes eigene / vnd dann auch auff dero Befehl von  
Herrn Canslern vnd Räten publicirte Wort. Höret aber  
wunder über wunder. Es kommet alhie der grosse hocherha-  
bene Cardinal (dann Schulmeister / wie er mich nennet /  
darff man ihn wol nicht wieder nennen) Herr Häfeman vnd  
spricht / Dem sey nicht also / ja im geringsten nicht: vnd wel-  
ches noch mehr zu verwundern ist / so dediciret er di. Schmei-  
rement.

gement/ darinnen er Seiner Hochseligen Fr. Gn. publiciree  
 sententz vnd Urthel hochmütig verwirfft vnd vnrecht schilt/  
 dero Herrn Sohn/ dem Durchleuchtigen Hochgebornen Fürs-  
 ten vnd Herrn/ Herrn Christian Ludwigen/ Herzogen zu  
 Braunschweig vnd Lüneburg/ heutiges Tages Magnificen-  
 tissimo Directori academiae Iuliae, meinem gnädigen Für-  
 sten vnd Herrn: gerad als würde Seiner Fr. Gn. angenehm  
 vnd gefellig seyn/ das dero Herrn Vatern Christmilder Gedäch-  
 tchenis ergangenes Urthel dermassen öffentlich durchgezogen  
 vnd gelestert wird. *Aequo lectori committitur iudicium,*  
*num ad extremam proterva impudentia lineam hic homo per-*  
*uenerit; vel expectandum sit, ut pergat ulterius. Sed eidem*  
*quoq, arbitrandum relinquitur, annon in eundem censum refe-*  
*rendum sit, quod Principi Imperij, ad quem scribit, in faciem oc-*  
*cinat Regale Directorii in publicis de fide negociis VNI-*  
**ET SOLI Duci Electori Saxoniae tributum esse; & quidem**  
*ita, (modo ex perplexis logodadali verbis sensum adsequi licet) ut*  
*is autoritate & potestate polleat, per quas in aliorum etiam*  
*Principum ditionibus, quod attinet publica pro fide tuenda*  
*negocia, disponat, iustâ severitate animadvertat, mini-*  
*strisq, eorum Formulam confessionis, quam Principes numquam*  
*imperarunt, imponat: sitq, ut alibi loquutum ostendimus, exor-*  
*sarum Theologicarum controversiarum legitimus cognitor*  
 & iudex. Vide pag.  
xy 2.

C V. Da nun dieser hochtrabender Hülffeman einem  
 Regierenden Fürsten des Reichs/ vnserm gnädigen Fürsten vnd  
 Herrn/ voriges vnter Augen sage darff/ als ist nicht zu verwun-  
 dern/ das derselbe die Herrn Professores Iuris hiesiger Iulius  
 Vniuersitet, darumb das sie obgesagten fürgeben neben an- Præf. pag.  
127.  
 dern ihren Collegen widersprochen/ syndiciret: imgleichen  
 die ganze academiã, indeme die mit stillschweigen nicht hat  
 fürbey gehen können/ das die vertauffelte Mislenstische Anti-  
 cris

crisis academiam eines abfals von der Augspurgischen con-  
fession, vnd mich D. Calixtum so abscheulich diffamiret  
vnd gescholten als immer möglich vnd erfindlich / ja atheismi  
vnd multorum criminum beschuldiget / sondern hat mit eis-  
nem öffentlichen Anschläge diesen allen ferid & solenniter wie-  
dersprochen: Das nun / spreche ich / die Iulius Vniuersitet ein  
solch Programma publiciret, angeschlagen vnd auff andere  
Vniuersiteten, dero vnd meine Vnschuld zu verthetigen / ver-  
schicket / daraus machet D. Hülseman in seiner verleumbderi-  
schen Dialysi, quod Academia Iulia conuitia literis sigil-  
lo Academico munitis ad omnes alias Germaniæ Aca-  
demias soleat perscribere, & quâquâ possit divulgare:  
Et quodcunq; semel chartis illeuerit, omnes  
Gestiat à furno redeuntes scire.

— Optandum erat non solum Calixto, sed multis for-  
tasse aliis, Talia nunquam esse scripta, multo minus per  
universum Orbem vulgata. Legisset Apologeticum Lu-  
theri contra Hans Wurst / Tomo sexto Ienensi German.  
fol. 424. seqq. & deterreretur Henricianâ Catastrophe  
pediculosus Grammaticus. Sed impudens Senecio om-  
ni studio in hoc enitendum esse putavit, ne subtile ni-  
mirum & venenatum hoc telum (etsi longè aberrans à  
propositâ metâ) firu rubiginaretur. &c. *Quid sibi velit  
Hulsemannus hic, ut fere ubiq; divinandum est. Tractatus Lu-  
theri contra Hans Wurst / id est, contra Henricum Iuniorem,  
Ducem Brunsvicensem & Lunenburgensem, in utraq; editione Ie-  
nensi tum priore post annum 1610 L, tum posteriore circa annum  
1610 XXC curatâ, Tomo septimo, non sexto, habetur. Cata-  
strophe solet appellari postrema pars fabula. Me itaq; quem  
maledicum senem, pediculosum Grammaticum, impu-  
dentem senecionem pro suâ auctoritate & comitate pronun-  
ciat, Henricianâ catastrophe deterreret, id est, ultimis, ut puto, in  
istâ contra Henricum Ducem Brunsvicensem ενλατυπικῶν amathe-  
marif*

matismis & condemnationibus. Qui quum peius etiam acris-  
set quam ego, nempe ein Erhmenchelmordbränner / ein verjag-  
ter Schelm / eandem cum hoc elogio & maximo dimittitur.  
Wolan/sie sind verstockt/verblent/dem Zorn Got-  
tes vbergeben, / wir müssen dem Zorn raum geben/  
vnd Gottes Gericht lassen gehen / Wollen auch  
nicht mehr für ihre Sünde bitten (Wie vns S.  
Johannes lehret) Sondern von ihnen vnd wider  
sie/Gott zu lobe vnd danck singen das Judas Lied/  
auff Heintzen also gedent.

Ach du arger Heintze / was hastu gethan!  
Das du viel fromer Menschen / durchs Feuer  
hast morden lahn.

Des wirstu in der Helle leiden grosse Pein/  
Lucifers Geselle mustu ewig seyn.

*Si & oxotus mentem & sententiam adsequor, huiusmodi Hen-  
ricianâ vel Henricanâ catastrophe, paribusq; votis & benedicti-  
onibus prosequitur Hulfemannus omnes eos, qui atrocissimas in-  
iurias & calumnias à Mislenta & ipso Hulfemannno sociisq; sub ti-  
tulo Theologorum Directoris illatas faciti non devorant, & ullo  
modo vindictis retundunt.*

CVL Wir wollen dem günstigen Latinischverstendis-  
gen Lesern zu gefallen vnd information oberwchnetes Pro-  
gramma, welches Prorektor vnd Senatus hiesiger Vniver-  
sitet publiciret vnd öffentlich angeschlagen / vnd bald dara-  
uff mit einem Nebenschreiben an andere Vniversiteten übers-  
endet / hieben fügen.

PRORECTOR ET SENATUS ACA-  
DEMIÆ IVLIAE  
BENEVOLO LECTORI  
S. P. D.

**A**llatus ad nos ante paucos dies, Lector Benevole, ex  
Borussia usq; est horribilis & sacer liber, Anticrisos  
Ttt 2 nomi-

Nomine; si titulo credimus Gedani quidē typis excusus,  
operā tamen & studio (verba ipsa damus) *ministerii respecti-*  
*vè Tripolitani apud Regiomontanos exaratus.* Iam ante annū  
ab eadem manu, atq; ex eodem loco profectum videra-  
mus multo cum dolore nostro immitē opus aliud; *Cen-*  
*suras* appellaverant. Hujus ergo libri etiā frontē cū  
sævam deprehenderemus, haud difficile quidē fuit con-  
jectu, nihil illum suave ac benignum parturire. Atroci-  
orem tamen ipsum librum experti sumus, quā spera-  
veramus aut frons faciebat vereri. Cū enim prius o-  
pus tantū in doctrinā tum aliorum tum Reverendorū  
& clarissimorum collegarum nostrorum D. Georgii Ca-  
lixti & D. Conradi Horneii insectandā sese continuisset,  
liber hic, præter doctrinam, vitam etiā ac mores D. Ca-  
lixti ac quorundam scholæ nostræ alumnorum palām  
flagellat, imò, citra ruborem, ipsiusmet inclutæ hujus  
Academiæ Iuliæ famam atque existimationem, spectan-  
te quasi terrarum orbe, maledicē vulnerat, tanquam illa  
multos jam annos à Christi doctrinā, quam Augustæ  
coram Carolo V Imperatore majores nostri æternā cum  
laude sunt confessi, dissideat. Verba ipsa hæc sunt: *Quo*  
*loco sit Academia Iulia habenda, ante me* (D. Celestinum  
Mislentam) *dudum iudicium suum tulere orthodoxi Theologi,*  
*à tempore Heshusii, Hofmanni, qui successores post se reliquerunt*  
*D. Boëthium, & modernos Theologicos Professores, de quorum*  
*doctrinā publica exstant iudicia passim apud Theologos puritatem*  
*& orthodoxiam in eā desiderantes. Nec in meā potestate est A-*  
*cademiam illam excludere ex numero profitentium Augustanam*  
*confessionem, sed suā culpā sese excludunt, qui ab invariata Au-*  
*gustana confessionis orthodoxā sententiā divorcium faciunt, &*  
*singularitates novitatesq; erroneas sectantur. De D. Calixto*  
*nostro in hæc verba scribitur: Si rumorī fides adhibenda,*  
*multo*

multorum et inimicorum reus agi posset D. Calixtus. Item: Et fami-  
liare quidem, qui D. Calixtum probè norunt, eidem esse perhi-  
bent, sibi contradicentes à seq̄, dissentientes non saltem maledicā  
linguā persequi, verum etiam ex animi impotentia ac affectuum  
intemperie famosis scriptis ac pasquillis incessere. Omnis fe-  
re libri pagina D. Calixtum atheismi accusat. Multis  
portentose maledicis immiscetur etiam ista: *Vtinam D.  
Calixtus praxi suā monitum illud conspicuum redderet, quod pro-  
ducit tum ex Adamo Contzenio lib. II de pace Germania cap. IX;  
& quod tandem de suo depromit D. Calixtus num. L XIX sub si-  
nem.* Obscurior quidem intellectu hæc accusatio est,  
quid tamen sibi velit, patet si Contzenii Calixti que ver-  
ba ipsa conferantur. Illa hæc sunt: *Moneo illos qui cum de  
Ecclesia vivant, de Christi patrimonio incrassati sint, de stipen-  
dio ducis nostri larga donativa accipiant, suā ignaviā, inscitā,  
ebrietate, turpitudine castra sua hostibus produnt, de animarum  
pereuntium exitio nihil solliciti, pacem Ecclesia in opulentiā &  
quiete præbendarum collocantes.* Ipsemet Calixtus ita est  
loquutus: *Videant & caveant quoq̄, nostri, ne dum Ecclesia  
patrimonium absumunt, & interim officium facere negligunt,  
Ecclesiaq̄, afflictissima & inter summas angustias luctanti de-  
bitas ferre suppetias neq̄, volunt neq̄, possunt, bonis, qua legiti-  
mis usibus subtracta in alienos & propemodum contrarios tran-  
stulerunt, iusto Dei iudicio priventur.* Vnde liquet notari D.  
Calixtum, quasi & ille, quorūdam more, Ecclesia pa-  
trimonium ignavo otio atque turpi vitā abliguriens,  
bonum publicum prodat hostibus. Alibi eodem in li-  
bro legas: *Melchior Bialerus cum haberi vellet bonorum ope-  
rum studiosissimus, adeo tamen perditè vixit Helmestadii, ut pu-  
blicā cum ignominia ob ductos in lupanar discipulos inde relega-  
tus sit. Tales sunt qui necessitatem bonorum operum, & quidem  
ad salutem, plenis buccis crepant.* Nimirum Curios simulant &

Bacchanalia vivunt. Item: Mira audivi de homine isto (Later-  
manno) ex Dn. D. Lysero, quam pessimè se Helmstadii gesserit,  
adeo ut D. Horneius ipse dixerit, Es würde nichts gutes aus  
ihm werden. Hæc & similia liber ille disertè affirmare, &  
palàm quidem coram hoc orbe, non dubitavit. Alia  
excerpere non libet. Quod enim clarissimorum Col-  
legarum nostrorum doctrinam attinet, & prodierunt  
hactenus nonnulla, & porrò prodibunt, quibus veritas  
vindictetur: eoque satius est, ut nos quidem gemitu in-  
terim apud Deum prosequamur Ecclesiæ isthæc mala,  
quò deserviant nonnihil & remedio locum præbeant.  
Quamvis autem & illa quæ modò produximus ita sese  
habeant, ut veritas atque innocentia ab iis non sit quod  
metuant, tutæ nimirum per se contra fictas omnium in-  
fidias, contra *oxoquartias* & mendacia, nullo licet acce-  
dente defensore, ut quæ etiam interclusæ ad tempus  
tandem tamen respirent: non commitemus nihilomi-  
nus quantum in nobis est, ut impunè grassetur calum-  
nia, aut per eam viri boni improvidè capiantur. Ea-  
propter quibus par est modis omnibus in posterum ul-  
ciscemur injuriam, & à contumeliâ nomen nostrum no-  
strorumque deinceps strenuè vindicabimus. Facient  
idem, scimus, Serenissimi Duces Brunsvicenses & Lu-  
neburgenses, Domini nostri clementissimi & Academiæ  
hujus Lulii benignissimi nutritii: quorum famam nos  
incessendo mendacium felicitat. Facient nobiscum om-  
nes boni rectique amantes & intelligentes. Ne tamen  
vel brevi tempore exultet calumpnia, & inultam vel te-  
nuis mora foveat, visum est etiam hodie cursum ejus  
nonnihil sufflaminare, idque cum aliter nondum liceat,  
salthim publicâ detestatione. Quod omnis itaque Augu-  
stana Confessione addicta Ecclesia, quod omnis Ger-  
mania

mania, imò quod orbis omnis audiat; nihil non eorum,  
quæ paulò antè ex lycophanticâ illâ Anticrisi recitavi-  
mus, improbè fictum & sceleratè mentitum publicâ  
hac chartâ pronunciamus. Sycophanta est, nequam  
est, scelus hominis est, talia qui in vulgus spargere non  
erubuit, nullo unquam conatu probaturus. Laterman-  
nus apud nos vixit integrè. Brelerus ex hoc loco non  
jussus est exesse sive cum sive sine infamiâ. Qui probi-  
tatis necessitatem hâc urgent, non simulant Curios &  
vivunt Bacchanalia. Calixti nostri religiosa pietas, vir-  
tus, diligentia, modestia, humanitas, per integros xl &  
plures annos omnibus hujus urbis totiusque provincie  
incolis, quin ipsis etiam Serenissimis Principibus, perin-  
de atque summa eruditio, perspecta & laudata est. Ni-  
hil prisca catholica fidei in Iuliâ hac scholâ ab Heshusia  
usque ætate convulsam est. Nullum Oecumenicæ sy-  
nodi dogma rescissum. Non Arius, non Photinus, non  
Nestorius, non Euryches, non Pelagius ex orco redu-  
ctus. Nulla hæresis de novo paxillo hic suspensa est.  
Christiani fuimus & sumus omnes. Catholici mansi-  
mus. Quæ Augustæ exhibita est Confessionem incor-  
ruptam usque huc amplectimur. Iulium doctrinæ Cor-  
pus sacramenti memores veneramur. Quiescant ergo  
tandem impudentes ac improba lingua, & innocentibus  
desinant maledicere. Bonos omnes quasumus &  
obtestamur, ne temere credant, quæ inclementius lo-  
quantur sycophantici libelli, sed scriptis nostris & abs-  
que amore ac odio judicantibus fidentes, ex rebus an-  
te hac præclare semper hic gestis de præsentibus ac fu-  
turis præsumant optima. Nos pro virili laborabimus,  
ne quid doctrina prisca, ne quid disciplina, ne quid Ec-  
clesia aut veritas capiat detrimenti. Vale Lector. P. P.  
in A.

in Academiâ Iuliâ, sub ejus majore sigillo, anno cix  
D C XLIX, vii Kl. April.

CVII. Dasz Nebenschreiben damit sehangesfügtes  
Programma auff andere Vniuersiteten verschicket / lautet  
wie folget.

*Magnifice Domine Rector, Spectabiles Decani,  
Perquam reverendi, Clarissimi & Excellentissimi Viri, Domini  
& Amici plurimam honorandi.* Non dubitamus ad vos allat-  
tum esse exemplum aut famam saltem nefandi voluminis, quod  
à malevolis quibusdam nominis alieni obrectatoribus, Regio-  
monte compilatum, Dantisci autem, Anticriscos nomen prefe-  
rens, in vulgus nuperrime est emissum. In quo præter alia hoc  
agitur ut venerandus Collega noster D. Georgius Calixtus, vir  
de rectis studijs & ecclesiâ, tot bonis fatentibus, à multis annis  
meritus optime, & ita quotidie merens, in perniciosorum erro-  
rum, impietatis, periurij, Samaritanismi, Crypto-Calvinismi  
sed & Crypto-papismi, imò criminum multorum & atheismi  
atroces suspensiones adducatur. Neg, intra hunc gradum se con-  
tinet Tripolitana calumnia, sed grassatur ulterius, & hanc Aca-  
demiâ Iuliâ ipsam, haut pœnitendum reip. & ecclesiâ Germa-  
nica seminarium, è numero Augustanam confessionem profitenti-  
um submovere, magnâ ferociâ allaborat. Indolimus serio opti-  
mum Calixtum, dum opes, ingenium, animum, vitam omnem  
studijs & ecclesiâ iuvandis tam cupide, tamq, candidè impendit,  
à personatis iustitiæ præconibus tandem hoc ferre præmium. Ec-  
cur autem tantum odij invidiaq, adversum nos omnes concepe-  
runt hi Censores, ut non attendant, quàm afflictâ & dissipatâ  
iam tum sint res Christiana ecclesiâ, cuius funesta discidia & vi-  
bratos iuvicem anathematismos, sectatores Christi omnes aver-  
sari, ministros autem pro virili etiam avertere, mitigare & com-  
ponere par erat, si nominis sui esse memores, si in domo Domini re-  
cte versari cuperent. Auctores verò & editores ineptæ Anti-  
Criscos integram hanc Academiâ eiusq, alumnos & fautores,  
quim

quā omnes has Guelficas provincias, separarent à communi  
Symbolo Augustano, & laceram Christi tunicam scinderent ulte-  
rius, si in potestate illorum hoc esset positum. Sed non sinit hoc  
opt. max. Deus, qui ut filios suos dispersos congregaret in unum,  
è caelo misit redemptorem. Neq. Serenissimi & Celsissimi nostri  
Principes, quorum maiores dominatui Pontificio è Christianâ  
rep. excludendo strenui adiutores fuerunt, patientur, ut posticus  
à Vistulâ nobis in Germaniam redeat Dictator. Ceterum men-  
dacia libri Tripolitani propediem ingulabuntur armis invictis ab  
ipsis illis, quorum fama & nominibus petulanter adeo Anti-Cri-  
tici illi insultarunt. Nos interim hanc Academiam, cui sacra-  
mentum diximus, asserere & calumniam illi intentatam repelle-  
re programmata isto debuimus. Exempla eius aliquot benevo-  
lis manibus à nobis accipite, Viri clarissimi, & favere Academia  
Julia, eiusq. innocentiam contra obtractatores cum bonis & pru-  
dentibus omnibus tueri perseverate. Non consistent hi calumnia-  
rum architecti, unde cœperunt, sed immoderatum zelum suum  
latius effundent, nisi omnium ordinum auctoritate temeritati  
illorum sibula imponatur. Hoc ergo agite, quasumus, Viri exi-  
mij, & quorumvis contra veritatem & pacem molitiones ope  
vestra cōhibete. Nos si quares unquam exiget, doctrina & in-  
tegritatis vestra invicem erimus candidi pracones & intrepidi  
vindices. Salvete omnes. Deus vos servet. Helmestadij in  
Acad. Julia, pridie Non. April. 1710 CXLIX.

ProRector & Professores in  
Acad. Julia.

CIIIX. Ob nun schon vorhergesetztes Programmata uns-  
rer hiesiger Vniversitet grossen Insiegel öffentlich angeschlas-  
gen/ und vnter demselben mit nachstvorgehenden Nebenschrei-  
ben an alle der Augspurgischen confession verwandte Vni-  
versiteten in Teutschland / ja so gar an die Königsbergische  
selbst geschicket worden / so kommet doch Mislenza her neben  
Zuu  
seinen

seinen Tripolitanis, schmiedet ein Brutum fulmen, vnd gibt für / es rühre diß Programmata nicht her von der Vniuersitet (welches doch / wiewol nicht ohne dero verleumbdung / D. Hülsman erkennen mus) sondern von mir vnd meinen seligen Collegen D. Horneio. Diese grobe thumföhne vnwarheit / vnd was dero mehr anhengig / haben Prorektor vnd Senatus mit einem wiederholeten öffentlichen Anschläge vmbgestossen vnd niedergelegt: welchen wir auch ganz vnd vngestümelt anhero wollen sehen.

PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIAE IVLIAE  
BENEVOLO LECTORI  
S. P. D.

 Vum nuper & totius inclutæ hujus scholæ Iuliae, & venerandi collegæ nostri D. D. Calixti, & deniq; alumnorum quorundam famam atque existimationem, ab impuris nonnullis Anticriticis improbè flagellatam, publicatâ passim tabulâ vindicaremus; erat sanè spes, fore ut non tantum impium facinus nobiscum detestarentur, sed ipsæ etiam calumniantium frontes in ruborem actæ cum bonâ mente paulatim in gratiam redirent. Verum bonis quidem est quòd laudem debeamus, voti nostri abundè facti compotes: Anticritici autem isti in Vejoves transformati, omni abjecto pudore, BRVTVM aliquod FVL MEN (nomen suum chartæ non inuidebimus) scœvâ manu sunt ejaculati. Non est nostrum cum sycophantis luctari, sacrum licet in morem palliatis. Nam & muneris sui pro se quisque conscius, & à nullo hominum genere magis est alienus, quàm qui sub togâ & pallio sacro, Dei atque Ecclesiæ causam prætexentes, histrioniam exercent, in Deum & Ecclesiæ optimos mi-  
mini-

nistros, per inscitiam, per animi improbitatem, perinde  
injurii. Veritatis tamen & innocentia interest fortasse,  
pro utraque defendenda Fulmini isti quamvis bruto  
nonnihil reponere. Neque verò saltim id silentio pos-  
sumus præterire, nostro omnium consensu nostraque  
autoritate publicatum Programma, tanquam non sit à  
nobis, sed à Viris Reverendis & Clarissimis D. D. Calix-  
to & D. D. Horneio profectum, ausos illos perstringere,  
idque scientes volentesque. Etenim non utique igno-  
rare potuerunt nostrum esse, quod nomen nostrum præ-  
fixum gerit, quod majore Academia sigillo munitum,  
imò quod Julia nostra & titulo & signo addito, cum ad  
alias Germaniæ Academiæ, tum ad ipsammet Regio-  
montanam est transmissum. Illa tamen vis fuit mali-  
tia, tantum quò amplior pateret calumnia campus, ut  
contra animi conscientiam fingerent Alastores eos scri-  
pti nostri auctores, in quos perulanti lingua debacchari  
se impunè posse arbitrati sunt. Brutos in Programma  
illud Fulmantium ictus ipsæmet in aprico positæ &  
veritas & innocentia, alieno quamvis destitutæ auxilio,  
elidunt. Et verò nemini non constat, pietate, quâ & no-  
stræ & nostrorum famæ obstringimur, tantum non in-  
vitis nobis illud expressum, nec ultra veri & recti limi-  
tes præcurrisse. Si disputare, imò si in foro eâ, quâ par  
est, lege causam agere per Anticriticos licuisset, luben-  
tissimè isthoc labore supersedissemus, nihilque asperum  
vel linguæ vel calamo nostro excidisset. At amicâ di-  
sputandi palæstrâ per convitia & sycophantias obstru-  
ctâ, inique profectò indignantur non exceptos sese di-  
sputantibus debitâ humanitate. Fama ac fortuna inno-  
centium per improbas calumnias & mendacia in discrimen  
adductæ, præsertim si à foro tardius sit remedium,

non alio quam quo nos usi sumus clypeo defendi, non alio telo vindicari vel possunt vel solent. Sed & scapham scapham vocare & in scelera suis nominibus animadvertere, ne habeatur nefas, dudum nos exemplo suo Prophetæ, Apostoli, imò ipsemet mitissimus Salvator, docuerunt. Ultra autem id, quod vulgo omni licet innocenti ex calumniâ periclitaturo, nihil dictum nihilâ nobis est factum. Programma *ex magnâ animi impotentia & intemperie lividoq; pectore profectum, aut virulentum, atrocissimum & calumniosum esse*, brutum mendacium est. Qui Academiam Iuliam consortio Augustanæ Confessionis ac proinde pacem publicâ Germaniæ excludunt, qui Collegas nostros & alumnos optimos partim atheismi, partim sceleratæ vitæ arguunt, eos in famam, fortunam, imò sanguinem convitiari, nimium quantum (cheu!) est manifestum. Sycophantam, nequam, scelus hominis esse, qui per mendacia & calumnias hoc modo grassatur in innocentes, constat utique inter omnes probos & recti intelligentes. Quæ animi itaque est impotentia, quod lividum pectus, aut quæ linguæ virulentia, quod insultantis calumniæ veloces progressus justâ sceleris detestatione sinus remorati? Et verò incassû nititur Fulmen Anticritici excusare, quasi non Academia Iuliæ sed solis ejus Theologis maledixerit. Verba ipsa ex medio libro bonâ fide depromimus, Academia Iuliæ nomen disertè flagellantia: quemcumq; alibi vafrities palpum nonnullis ejus membris studuerit obtrudere. Quod si etiam τὴν πᾶντα ἁγίασάντων carnis Christi à numero salutaris fidei dogmatum excludere, est perinde atq; ab Augustanâ confessione nullis lituris deformatâ desciscere, (id quod Anticritici isti & Fulminatores non dubitant asserere) non potest non Academia Iulia communè scho-  
læ in-

lae injuriam Theologis suis dictum convitium interpre-  
tari. Nec enim hæc unquam dogma illud tanti fecit,  
cui in religioso sacramento locum tribueret, quamvis  
sedulo caverit, ne cui vel honores aliqui ex publico tri-  
buantur, nisi cujus pia mens jurejurando optimis fidei  
symbolis, interque ea Augustano, sese approbavit. Ve-  
rum nostram illam de dogmate isthoc opinionem, ec-  
quis probus & sapiens unquam Augustanæ dixit doctri-  
næ adversari? Quis illo nomine sive totam nostram A-  
cademiam, sive ejus Theologos, quasi divortium fece-  
rint à Confessione isthac, tam sanctè à nobis & majori-  
bus semper cultâ, traduxit ante hos sycophantas, & si  
qui fortè ejus sunt gregis alijs? Audiant, licet, iterum  
Alastores: scelus hominis est, qui tantillâ de causâ  
scholam nostram ejusq; doctores Confessionis Augu-  
stanæ adeoq; civili Germaniæ societate tentat exclude-  
re. In venerandi Calixti nostri negotio æque sese im-  
probè gerunt. Verbis suis quibus illum notaverant,  
quasi in otio Ecclesiæ bona abliguriat, cum mendacio  
aliud pallium non esset, sensum affingunt, de quo nemi-  
ni vel per somnium potuit venire in mentem. Eadem  
regulâ, ne perpluat scilicet, tegunt mendacium, *Calix-  
tum multorum criminum reum posse agi. Ut pigmentum in-  
veniant calumniæ, quasi Calixtus dissentientes famosis  
scriptis incessat, sollicitant manes defuncti hominis  
tanquam calumniæ auctoris: qui tamen (si verum per-  
hibent hi Fulminatores) & ipse nullo verbo læsus gra-  
vissimo mendacio de Calixto est conquestus. Pro dunt  
autem utique isthoc ipso nostri illi, neque argumen-  
tum neque in hisce terris inter tot mortalium millia re-  
stem sibi superesse, improbo suo figmento colorando.  
Cum postremò, ut mendacij sese crimine absolverent*

vel probandum ipsis fuisset, Calixtum esse revera, quem pleno ore passim traduxerant, hominem atheum, vel deprecanda culpa; non se primis auctoribus id convictum natum caussantur: quasi socium sceleris nominare satis sit ad pessimi facinoris excusationem. In D.D. Latermannum & M. Brelerum sparsas turpissimas calumnias negant à se profectas, quoniam ex aliorum sint relatione chartis suis Anticriticis insertæ. Injuriarum autem teneri non tantum *qui scripserit & composuerit librum ad infamiam alicuius pertinentem*, sed & *qui ediderit*, jam dudum ab Ulpiano notatum est. Mendacia aliorum cum recitando fecerint sua, extra culpam sese positos tamen audent profiteri. Quid verò illi non profiteantur, quos non pudet affirmare, & nolle se in dubium vocare testimonium vitæ integræ Latermanno à nobis datum, & simul non posse se derogare adversæ prorsus narrationi? M. Brelero non ausos nos testimonium innocentiae perhibere, mentiuntur. In lupanar ab illo deductos discipulos, mendacium est æquè, ac Helmeftadii lupanar inveniri. Improbè etiam mentitur, quisquis virum non sine laude doctrinæ olim dimissum hoc ex loco *cum ignominia* exesse iustum, spargit. Quâ fronte porrò negant famam Serenissimorum Principum nostrorum nos incessendo à sese fodicatam? Num Augustanæ Confessionis socii jure audiant, num religiosæ pietatis gloriam mereantur, qui neque in Ecclesiis suis, neque in hac suâ illustri Scholâ ab illius usque primordiis, inter Catholicæ & Augustanæ fidei placita numerari permiserunt id dogma, quod in dubium vocari citra repudium Augustanæ confessionis non posse, Fulminatores & Anticritici clamare non erubescunt? Num illi sint veræ Ecclesiæ nutricii, qui, si sycophantis credendum, jam ab Heshu-

Heshusio usque, h. e. totos septuaginta annos in hac  
scholâ, imò passim in Ecclesiis suis, Nestorii hæreses non  
doceri tantùm passi sunt, sed etiam earum doctores pu-  
blico stipendio hætenus aluerunt, in catholicæ fidei  
magistros non perinde æqui? Sanè, si quæ alia, hæc Scho-  
læ nostræ illata contumelia ad Serenissimorum Princi-  
pum Guelphicorum injuriam pertinet quàm maximè:  
præsertim quum à nemine hætenus sit intentata, & ex-  
emplo facilè possit esse ad pejora. Qui metus ne sit ina-  
nis cavit jam Anticrisis, Buscherianâ causâ contra la-  
tam à Principibus sententiam approbatâ, addito men-  
dacio, quasi ipsorum *brachio Calixtus Buscherum persequi  
usq. ad mortem non destiterit.* Mirum verò nihil à Fulmina-  
toribus allatum in excusationem illius sui omniû men-  
daciolorum calidissimi: qui necessitatem sanctimonix ad  
salutem exigant, simulare Curios & vivere Bacchanalia.  
Saltim hæc itaque proprio ipsorum consensu mera est  
calumnia & sycophantia: quo vitio tamen nullum ma-  
gis Christiano homine est indignum. Cæterùm & in a-  
liis omnibus, quarum à nobis sunt postulati, injuriarû  
calumniarumque esse eos manifestos, non potest quis-  
quam dubitare. Longè plurimum iidem convinci haud  
difficiliter possent, (cujusmodi profectò sunt splendida  
illa, quòd *Theologi nostri suis suffragiis promoveant conatus Cal-  
vinianorum in tollendo discrimine inter invariata & varia-  
tam Confessionem Augustanam, quòd etiam Tractatibus pacis re-  
ligionis Calviniani ipsis auctoribus inclusi sint*) si clarissimor-  
um collegarum nostrorum D.D. Calixti & D.D. Hor-  
neij causam propiùs adversus illorum infames contu-  
melias defendere, vel operâ nostræ esset, vel institutum  
pateretur. Verùm & non egent, Viri Optimi nobis de-  
fensoribus, quantum apparet, ipsis sic satis strenuè pro  
inno-

innocentiâ suâ depugnantibus: & jam tædet nos pugnae  
cum rabiosis canibus initæ, præsertim nullâ, vel certe  
perexiguâ vitæ emendationis superstite expectatione.  
Scilicet ita ferè usu venit, ut qui veritati & innocentia  
semel bellum intulerunt, postea ne si velint quidem op-  
pugnare illam cessent, urgente illos terribili istâ voce:  
*ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι, καὶ ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαροσάτω ἔτι.* Nos igitur po-  
tius pro se quisque quod nostri muneris est agemus; ob-  
secrantes Deum patientia & consolationis, det nobis ut eodem  
animo inter nos affecti simus secundum Iesum Christum, ut con-  
corditer uno ore glorificemus Deum ac patrem Domini nostri Iesu  
Christi, propterea assumentes alii alios, sicut & Christus assumpsit  
nos in gloriam Dei. Vale Lector Benevole & optimis Iuliae  
nostræ studiis favere perge. P.P. in Acad. Iulia, sub ejus  
majore sigillo, XII Kal. Septemb. anno CIO IO C XLIX.

Antiq. al-  
phab. 2  
pag. 135.

Pag. 136.

CIX. Es wird sich ohne zweiffel der günstige Leser ver-  
wundern/ woher es dann komme/ daß mich Misienta so grew-  
lich schilt vnd lestert/ daß auch vnter der Sonnen keine ergere  
Wort vnd höhere Laster zu finden/ als eben die/ so er wieder  
mich gebrauchet/ vnd mir beymisset. Er spricht sonst selbst/  
Non negamus in dogmatibus contra absolutum decre-  
tum, & contra opinionem, quæ præsentiam corporis &  
sanguinis Dominici sanctæ Eucharistiæ detrahit, D. Ca-  
lixto cum orthodoxis sentire. Daß aber ist es ohne zweiffel/  
wie bald hernach folget/ D. Calixtus negat omnipræ-  
sentiam humanæ naturæ Christi apud omnes creaturas,  
vel in omnibus Vbi, in quibus divina Christi natura,  
seu ipse *ἀπὸ* præsens sit. Dis bekenne ich wahr sein. Wie  
was moderation dannoch diese controversia bisshero hies  
selbst tractiret worden/ solches ist angedeutet in der Widerle-  
gung num. CXXIX. Daß aber negare præsentiam humanæ  
naturæ Christi in omnibus Vbi, in quibus divina præ-  
sens

sens sit, solte so viel seyn/wie Mislenta wil/ als transeum fa-  
cere ad castra Nestorianorum; da sage ich Nein zu / vnd  
spreche/ Wer das saget/ wird nicht wissen / oder wil es niche  
wissen / was Nestorius gelehret habe. Solche Ubiquitet  
leugnen nicht allein die von Mislenten angezogene Iesuitæ  
vnd Pontificij moderni, Calviniani & Arminiani, son-  
dern auch Græci & Orientales, & quidquid est Christianorum  
toto orbe, exceptis illis in cæterorum comparatione, paucis, qui ad  
eam recipiendam vi Formula concordia adiguntur. Anno c13 m  
xxxvii, quum scriberentur articuli Smalcaldici, nulla fuit inter  
Protestantes & Pontificios circa articulum de Personâ & Incar-  
natione Christi controversia. Ergo dogma de præsentia humana  
naturæ Christi in omnibus Pbi, in quibus divina præsens, nondum  
invaluerat. Si enim invaluisse aut innotuisse, controversiæ ex-  
pers non fuisset, quandoquidem nemo umquam Pontificius eius-  
modi præsentiam docuit vel admisit, nisi unus Iacobus Faber Sta-  
pulenſis, qui apud suos orthodoxus non audivit. Mislenta nihi-  
lominus in appendice suæ Anticriseos dogma de omnipræsen-  
tia carnis Christi articulum fidei appellare audeat; eiusq; de-  
monstrationem ex hoc ipso Confessionis Smalcaldica loco, & Au-  
gustana tertio articulo arcessere. In Confessione, inquit,  
Augustanâ Carolo V Imperatori exhibitâ, articulus de  
omnipræsentia ceu creditu necessarius numero tertio  
promulgatus est, ac ab omnibus & singulis Ecclesiis Lu-  
theranis receptus & approbatus. Post Confessionem  
Augustanam non in libertate Lutheranam religionem  
profiteantium dogma hocce situm fuit; sed pro fidei  
Christianæ articulo habitum: ipso B. Luthero facem  
præferente in Articulis Smalcaldicis articulo quarto,  
parte primâ. Tertius articulus Augustanus nemini, ut puto,  
ignotus est. Quartum illum Smalcaldicum hic adscribemus, ut  
quàm solidus vel improbus Mislenta sit, unicuiq; appareat.

Pag. 38.

Pag. 45.

Xxx

Verba

*Verba igitur articuli hac sunt: Filius ita factus est homo, ut à Spiritu sancto sine virili operâ conciperetur, & ex Mariâ, purâ, sanctâ, semper virgine nasceretur. Postea passus & mortuus est, sepultus, descendit ad inferna, resurrexit à mortuis, ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei, venturus judicare vivos & mortuos, &c.*

**CX.** Insonderheit ist Mislenz vnd der gansen sündmischen zankfüchtigen Rott die desiderium & studium concordia ecclesiastica ein Dorn in den Augen/ vnd Stachel im Herzen: vnd müssen von ihnen wieder diejenige/ welchen solches beliebt/ oder davon ihre gedanken vnd vorschläge eröffnen/ die allergewlichste scheld: vnd lästerwort/ die zu erdencken/ herfür gesuchet vnd gebrauchet werden. Da heist es alsbald auff dem titul der Anticriseos: Latermannus atheismi convincitur, Georgii Cassandri, Marci Antonii de Dominis & D. Calixti ductum sequutus. *Et mox paginâ sequens*: Sub prætextu Catholicae religionis, pacis & concordia Ecclesiastica atheismus ex orco revocatur, & in Ecclesiam non tam obscure & clam per insidias, quàm palàm & aperto Marre cum Cassandro, M. Antonio de Dominis & D. Calixto plenis velis iuvchitur. Da heisset es hin vnd wieder / Samaritica, Chimærica & Atheistica Calixti doctrina, & Babylonica diversissimarum religionum confusio & mixtura. *Desiderium illud vel secundum se consideratur, abstrahendo à consiliis & mediis, que videantur usurpari posse: vel unâ cum consiliis & mediis, que sanctum illum finem respicientibus sua cuius pietas & prudentia suggerat.* Ich habe davon geredet vorher in der Verantwortung post numerum XXVII, imprimis § Ich muß bekennen/ pag. III & seqq. Item pag. 29. præsertim § Zwey dinge. Mag es alhie nicht wiederholen. Es sol auch über dis das Desiderium & studium concordia ecclesiastica, welches

ich verschienen Herbst publiciret, angefüget werden/ daraus der Christliche Leser meine meinung/ vnd das nach dero anleitung keine vermischung der religionen zu befahren / gnugsam wird vernehmen.

CXI. Sonsten da mich Mislenta gedencet auff's euseferste zu schmähen vnd zu lästern/ thut er mir eine grosse Ehre an/ indeme er mich den trefflichen Männern M. Antonio de Dominis vnd Georgio Cassandro beyfüget vnd an die seite setzet. Das M. Antonii de Dominis scripta nicht solten erudita seyn/ & plurimum ad informationem in controversiis Theologicis & emendationem ecclesie facere, wird kein verständigere leugnen. Vnter dessen mache ich gleichwol aus ihm keinen Propheten oder Apostel: spreche auch nicht / das er es allewege vnfehlbar getroffen / vnd seine Wort vom Himmel gefallen. Dis thue ich darumb hinzu / weiln die Apologia Artic. 7. Augustanæ confessionis recht erinnert / Nullum remedium esse aduersus lycophantæ morsum. Nihil tam circumspectè dici posse, ut calumniam evitare queat. Welches ich überflüssig erfahren mus. Georgius Cassander hat von den höchstlöblichen Kaysern Ferdinando primo vnd Maximiliano secundo (*qui non minus concordiam ecclesiasticam desiderarunt eiq. studuerunt, quam ego vel alius quisquam*) befehl empfangen / seine gedanken / wie vnter den Christen in diesen Occidentalischen Kirchen die streitigkeiten vermindert oder beygelegt vñ auffgehoben werden müchten / zu eröffnen. Das hat er nach seinem besten vermögen vnd verstande gethan/ wie aus seiner Consultation zu erschen: deren billig beyzufügen stehet sein libellus De officio pii viri. Dieser wegen mus er jehund atheismi auff das allergrewlichst beschuldiget / ja so gar autor atheismi genennet werden: vnd mus jehund heissen / Latermannus tum Calixti tum Cassandri atheismum defendit. Appendix  
Misl. pag.  
77 & 96.

Xxx ij

CXII.

CXII. Es haben gleichwol für diesem andere der Augspurgischen confession verwandte Theologi also von Cassandro nicht geurtheilet. Ein pahr wil ich hiebey fügen. D. Balthasar Mentzerus Exegeti ad Augustanae confessionis articulum secundum, in fine: Georgius Cassander, quem egregiis encomiis ornarunt Imperatores Ferdinandus & Maximilianus II Confessionem Augustanam quoad secundum eius articulum confirmat, malè ob id acceptus à Iesuitis, gravissimis calumniis virum hunc doctissimum & moderatum insectantibus. D. Iohannes Gerhardus scripsit disputationes XXX, quibus titulum fecit, Bellarminus opus Iohannis testis. Earum ultimâ, postquam verba Cassandri de ritibus ecclesiasticis ex articulo XV Consultationis adduxisset, subiungit & concludit: In hac Cassandri moderatione utinam Adversarii & in hac & in reliquis controversiis plerisque omnibus acquiescerent! esset, de quo Ecclesie Christi gratulareremur, quòve in spem faciendæ concordie, si non totalis, partialis tamen, erigeremur. Ita de Consultatione Cassandri iudicavit magnus nostræ ætatis Theologus D. Iohannes Gerhardus, cuius anima sit in benedictione & quiescat in pace. Quin mihi aliquando cor àm affirmavit, animum suum dudum occupatum fuisse expendendis modis & mediis, quibus sarciri queat concordia: sibiq; cogitationes illas ita meditatas esse, ut nullo negotio in chartam possint effluere.

CXIII. Numehr aber heist es bey Mislenten vnd dessen Conspiranzen, so weit ich aus ihren Worten ihre meinung begreifen kan / Wer begehret oder hoffet / das vnter den Christen / welche im Römischen Reiche Teutscher nation, vnd andern angrenzenden Königreichern vnd Landen sich befinden / ein vergleich oder vertrag müchte getroffen / vnd der Streitigkeiten weniger gemachet werden; oder wer auff hiezv  
dienst

dienliche mittel bedacht ist vnd vnvergreiffliche  
 vorschläge thut: der fellet abe von dem wahren  
 Christlichen Glauben/ gehet vmb mit gottlosen  
 vom Teuffel eingeblasenen gedancken/ verleugnet  
 Gott vnd begeheth die grössste Sünde/ die vnter  
 der Sonnen kan begangen werden. Wir wollen an-  
 seho anders nicht thun/ als das wir hieby fügen etwas von  
 deme/ was D. Leonhardus Hütterus zu Wittenberg etwas  
 für fünf vnd dreissig Jahren in seinem *Irenico, prefatione ad*  
*Lectorem* geschrieben. *Quis, ait, fidelium vel ita publicæ*  
*privatæque salutis prodigus, vel à pacis studio adeo ali-*  
*nus esse possit, ut super contritione Iosephi non inge-*  
*miscat, & pacem Ecclesiæ stabilem firmamque suo eti-*  
*am sanguine redimat? Non, crede nobis, Lector opti-*  
*me, non adeo feri, aut immanes, vel potius adamantini*  
*sumus, ut sine lacrymis & gemitu, Europæ fatifcentis, &*  
*undequaque rimas agentis statum intueamur: non*  
*πλείων τῶν χεῶν* sumus numero, qui Tyria, quod dicitur,  
 maria concitemus, qui Concordiam Evangelicis  
 invidemus, qui dissidiorum faces accendamus, qui de-  
 niq; accensas jam, & nimium quantum ardentis fovere  
 magis, & frigidam suffundere, quam in primis potius  
 favillis sopire & compescere studeamus. — Neque e-  
 nim ita insanimus, quin cognitum perspectumque ha-  
 beamus, pace Ecclesiæ pacem nostram contineri: & à  
 tranquillitate Ecclesiæ, ipsius etiam Reipub. incolumi-  
 tatem pendere: quam qui temerè turbandam existi-  
 mant, næ illi pestes sunt & carcinomata humanæ socie-  
 tatis; imò immanes bestię, humanâ sub figurâ animum  
 belluinum occultantes. — Quemadmodum verò hac  
 descriptione meâ neque nostris Ecclesiis quicquam præ-  
 iudicare, neque sanioribus consiliis locum præripere

gestio: ita totum hunc meum discursum volo esse præparatorium ad eam deliberationem, quæ fortè, si ita necessitas ferat, de hoc ipso negotii genere aliquando inter Theologos & Politicos (ad utrosque enim provinciam hanc pertinere arbitror) instituetur. Hæc ante xxxv annos sententia fuit Hüttereri. *Ante annos LXV, priusquam ego nascerer, D. Jacobus Andrea in Colloquio Mompelgartensi, ipsius, disputationis fervore, Speramus, inquit, nos piis precibus vel tandem consequuturos, ut sancta, Deo grata, & Ecclesiis salutaris concordia constituatur, Quod faxit, & largiatur Deus æternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, per Spiritum sanctum, Amen.*

*Quo voto & precibus nos etiam hic finimus  
& concludimus.*



## EMENDANDA ET ADDENDA.

In der Widerlegung numero III ad marginem *lege Anno 1645.*

Num. XI, literâ *D* 1/ latere altero, lineâ 13 *adde particulam NON, & lege principia fidei non negantibus.*

To. 2 oper, pag. 716. Num. LXII in fine addatur: D. Aegidius Hunnius Antipareo: Lombardum in articulo Trinitatis Christianum & orthodoxum scriptorem fuisse constat.

Gal. 4. 1. Num. LXIII, literâ *J* 3/ latere altero, lineâ 16, adde: *Der da solte offenbahret werden. Warumb wolte er im folgenden Capittel sich vnd andere / so lang sie dem Alten testament zugethan / Kinder genennet haben? Item 1 Cor. 11, 7: Wir reden von der heimlichen verborgenen weisheit Gottes/welche Gott verordenet hat vor der*